



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 184. Posuerunt super caput eius. v. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

auro? argento? vel ferro? qualibus olim coronari solebant Cæsares Germanici, secundum triplex Regnum Germaniæ Longobardiæ & Italiæ. Minime gentium. sed ex pungentibus & duris spinis, ut & caput puncturis torqueretur, cui utcumque parcitum fuerat in dira flagellatione corporis, ut & sic impleretur quod dictum est: *Non est in eo sanitas à planta pedis usque ad verticem capitis.*

O Mi Iesu, cur obsecro voluisti tibi plecti coronam, tam diram de spinis durissimis? Quia tu ô homo venabaris meras coronas de rosis, vanitatum, voluptatum mundi, honorum & dignitatum; ut ergo pro iis satisfacerem Deo patri, volui mihi plecti coronam omnis humilitatis, contemptus, vilipendii, & cruciatus Ergo dulcissime Iesu quia superbia mea, voluptas mea, vana mea gloria, tibi causerunt hanc coronam, ecce conculco illa pedibus & dico, quod pudeat me, voluisse *ducere in bonis dies meos, & quarere qua mundi sunt, &c.* quæ tu nosti & ego erubesco. Agoque tibi gratias, quas possum, maximas, ô Rex, magne Deus, quod usus fueris hac methodo ad voluptates meas, & superbiam domandam. Ex hac hora enim statuo firmiter & propono tua vestigia sequi, & in hac vita eligere coronari spinis, ut post hoc tempus coronam æternæ gloriæ tecum adipisci merear in vita altera.

§. 184. *Posuerunt super caput eius. v. 29.*

Regia corona fit, ut imponatur capiti Regis, & ille ea notâ cognoscere possit & honorari: at hi milites, postquam texuerunt coronam de spinis, imposuerunt capiti Regis æterni in vilipendium & tormentum, quia non ex auro, inauratis, vel lauro, sed spinis horribilibus constabat, ut pungent non honorarent, spernerent non laudarent.

O Quis dicendo possit consequi, quam intolerabili Dominus Iesus, Rex æternus, dolore correptus fuerit, cum horribilis corona spinea tam inclementer ei imponeretur: ut enim quidam affirmant erat illa corona ex iuacis marinis, qui sunt peracuti & rigidi admodum, alii ex ihamno, & horum quidem non parvam connexuere copiam, sed in coronæ Cæsareæ undique caput regentis formam, & hanc tanta cum violentia & crudelitate sacro Christi vertici impresserunt, ut, quemadmodum D. Bernardus ait, aculei cerebrum attingerent, ipsas quoque venas nervos & ossa capitis penetrantes, adeo ut sanguis illius sacro permixtus cerebro, uberim per faciem, per collum, per capillos deflueret. Expendat hic quisque secum, qualis hæc pœna fuerit. Quod si cuiquam ingens aliqua spina in caput infingeretur, quoniam futurus esset animo? & certè, ut S. Anselmus author est, Christi

veneran-

venerandum caput vel mille aculeis compunctum est. Imprimamus oro cordibus nostris miserabilem hanc figuram seu speciem uti modernus noster Pontifex Alexander VII. qui Coloniae, cum esset sanctae sedis ad Rhenum Nuncius seu Legatus Apostolicus, & in calculi cura de vita perclitatur talem spinis coronati faciem Domini plane miserabile Collegio Societatis Jesu habuit, ante se, & eam ita animo suo impressit, ut cum postea aliquot annis evolutis ad summam dignitatem est hoc Anno evectus, inter primas curas habuit, ut eam imaginem Colonia optaret, quasi nunc primum eam petere ausus fuisset, animus à muneribus abstinentissimus, quando summum locum conscendisset. Sic oro imprimamus eam etiam cordibus nostris, contemplantur, quam deformis est, & sicut pulcherrimus omnium creaturarum, ut elegantissima Christi facies omni decore & specie destituta sit, utpote ex verberibus & plagis nimis, quibus ex nocte affecta erat, tumida, livens, lurida, sputis ac phlegmatibus sepulta, recentis denique sanguinis profluvio irrigata, ita ut tam miseranda esset species Salvatoris, ut hominis prae se non retineret imaginem. Egredere ergo nunc, ô anima mea, egredere de civitate cordis tui, & contemplare regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, vide quanta vis amoris illius pro te, quam caput eius sit plenum rore, & cincinnati illius guttis nocturnum id est peccatorum.

O Venerandum caput Domini mei Iesu Christi, te adoro coronatum spinis; adoro te collum benedictum pugnis incurvatum; adoro oculos clarios & puriores sole, nunc prae lacrynis rubicundos & obtenebratos, crines adoro concretos sanguine, cerebrum laesum puncturis spinarum, os benedictum pugnis contusum. Adoro maxillas plagis onustas & inflatas, aures adoro timentes ex clamoribus calumniis, blasphemis & sono flagrorum. Totum denique caput apertis nervis, musculis laceratis, pertuso cranio, & oro per hos dolores capitis tui, Domine Iesu, ut deleantur omnia peccata mea, quae quovis modo commisi cogitatione, & locutione, visione, auditione, ut sint mihi hi tui capitis & membrorum eius cruciatus in satisfactionem omnium meorum peccatorum.

§. 184. *Et arundinem in dextra eius. v. 19.*

Quisque Regum decorari solet & Corona & sceptro, corona qua contineat sibi subiectos in pace, tranquillitate & unitate quasi sub una corona & circulo sceptro quasi baculo iustitiae, ad eam conservandam inter subditos, malis in poenam, bonis in praemium: sic quoque hic Regi Iudaeorum & Domino dominantium tradunt arundinem, pro sceptro, regio, videlicet in contemptum, significantes per hoc quod se Regem fecisset & ta-

Q

men